INDEX LECTIONUM

AUSPICIIS

AUGUSTISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS

GUILELMI

IN

ACADEMIA

THEOLOGICA ET PHILOSOPHICA MONASTERIENSI

PER MENSES HIBERNOS A. MDCCCLXIX—X.

INDE A DIE XV. MENSIS OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

MONASTERII GUESTPHALORUM
EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA ASCHENDORFFIANA.

Auctoritate

RECTORIS ET SENATUS

Civibus S. D.

PETRUS LANGEN,

Litter. latin. Prof. P. O.

Ad finem iam perducturi sumns hac data praefandi occasione commentationem (de usu praepositionum Tertullianeo) abhinc octo menses inchoatam; cuius parte prima, quam scripsimus ad munus professoris ordinarii in hac alma academia rite capessendum, cum usum plurimarum praepositionum absolvissemus, secuta est paucis mensibus post altera pars, quam indici scholarum per hanc aestatem in academia Monasteriensi habitarum praeposuimus, spectans ad praepositionis de usum. His commentationibus accedit nunc tertia eademque ultima, qua comprehenduntur ea, quae de in sub super subter praepositionibus digna commemoratione videntur.

Initium igitur faciemus a praepositione

IN accusativa.

Haec proprie coniuncta cum verbis, quae movendi significationem habent, non raro apud Tertullianum ita posita reperitur, ut a

verbo pendeat cuiuslibet alius significationis et movendi notio mente sit addenda. Nec cuiquam mirum id esse poterit eis cognitis, quae de ad praepositione in prima commentatione exposuimus, cum in proxime ad huius voculae significationem accedat. Reperitur igitur: „perdere in gehennam" i. e. perdere et in gehennam conicere, vel etiam: perdere coniciendo in gehennam: de fuga cap. 7, scorp. 9 (p. 518 editionis Oehlerianae), scorp. 11; similiter „negator occidendus in gehennam" scorp. 12, de pudicit. 2; „perire in mortem" de pud. 7 (806); eodem modo explicandus locus, qui est ad nat. II, 15: „quos in sidera sepelistis" i. e. quos sepelientes in sidera recepistis; apol. 46 (282): „in quantum odium flagrat veritas" quod non dictum est, si accurate sententiam exprimere volumus, pro: quanto odio flagrat veritas, sed: in quantum odium venit quantoque deinde flagrat veritas; de cult. femin. II, 13: bonum ..... gaudet videri et in ipsas denotationes exultat" i. e. bonum exultat, cum denotatur, vel ut Tertulliani verba accuratius explicem: exultat, cum in denotationem pervenit; nam cave putes, scriptorem dicere voluisse, bonum gaudere exultatione; huius enim significationis, si in praepositio est accusativa, alterum exemplum, quod quidem certum sit, non reperitur; accedit quod, si totius loci universam sententiam consideraveris, facile reperies, Tertullianum dicere, bonum in publicum et ad lucem venire velle. Non multo post haec verba leguntur: „Ceterum nescio an manus spatalio circumdari solita in duritiam catenae stupescere sustineat", quae rursus cavendum ne falso interpretemur; usu autem Tertulliani reputato praesertim cum statim sequantur haece: „nescio an crus periscelio laetatum in nervum se patiatur artari", non a vero aberrabis, si hanc inesse sententiam verbis modo allatis statues: nescio an manus spatalio circumdari solita stupescens se in duras catenas illidere sustineat. De pallio 1 extr.:

„aries iam Romanus in muros quondam suos audet"; de oratione 22 (577): „nemo miretur in tuam faciem" quae explicanda esse: nemo convertat cum admiratione oculos in tuam faciem, docent ea quae praecedunt: „plures oculos pati noli"; de exh. castit. 5: „at cum apostolus in ecclesiam et Christum interpretatur i. e. interpretans refert ad Christum; cfr. de monog. 5 (768), de pudic. 7 (804); ad nat. II, 1: „sed enim multa sunt, quibus teneritas conscientiae obduratur in callositatem voluntarii erroris" i. e. obdurando pervenit ad callositatem.

Exemplo, quod ultimo loco posuimus, apte transitus fieri potest ad ea, in quibus in praepositio id significatur, quod actione efficitur, ut iam verba supra allata optime explicare licet: ita obdurant, ut callosi fiant; non raro etiam his locis verbum ad supplendam sententiam addi necesse est. Exempla haec sunto: apol. 7 extr.: „hanc (sc. famam) indicem adversus nos profertis, quae quod aliquando iactavit tantoque spatio in opinionem corroboravit, usque adhuc probare non valuit" i. e. fama id, quod adeo corroboravit, ut crederetur, usque adhuc probare non valuit; similiter de virg. vel. 1: „consuetudo ..... in usum ..... corroboratur; ad nat. II, 15: „Orbana, quae in orbitatem semina extinguat" i. e. semina extinguat, ut orbitas efficiatur; apol. 22 (209): „in oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in eventus, sciunt Croesi" i. e. ita temperent, ut eventus habeant; de corona 8: „si nervos idem in sonum strinxit"; de cor. 10: „ipse tibi iam praescribis, non habendum in communionem usus apud nos, quod non inveniatur in dei rebus"; de poenit. 3: „deus in omnia sufficit"; quae verba mira quadam brevitate ex tota sententia apparet dicta esse pro his: deus ita sapiens est, ut omnia cognoscere possit; scorp. 3: „amissuri enim erant in iudicium sibi vera ornamenta aurium, dei voces"; de fuga 12 (484): „pecunia tua tecum sit in

interitum"; de patient. 5 (598): „cum in idolum auri sui collationes defundit"; de poenit. 6: „velut poma, cum iam in acorem vel amaritudinem senescere incipiunt"; de monog. 15: „cum tormentis expugnata est (infirmitas) in negationem" i. e. ita expugnata est, ut neget; de virg. vel. 1: „fructus quoque rudis aliquamdiu et informis paulatim aetatem suam dirigens eruditnr in mansuetudinem saporis"; de pallio 1 (918): „nam et arietem nemini adhuc libratum illa dicitur Carthago, studiis asperrima belli, prima omnium armasse in oscillum penduli impetus"; de pallio 3: „taceo cervum, quod et ipse, aetatis suae arbiter, serpente pastus veneno languescit in iuventutem."

In nonnullis eorum, quae supra perscripta sunt, exemplorum cum in praepositionem ita interpretari liceat, ut consilium significet, hanc ei soli voculae vim inesse posse exemplis infra allatis etiam multo magis apparebit. De spect. 5: „quamquam et Consualia Romulo defendunt, quod ea Conso dicaverit deo, ut volunt, consilii eius scilicet, quo tunc Sabinarum virginum rapinam militibus suis in matrimonia excogitavit" i. e. rapinam excogitavit, ut militibus suis feminas pararet; de idol. 15: „recogitemus omnem idololatrian in hominis causam esse" i. e. ad inserviendum causae hominis vel: ad hominem colendum vel simpliciter „hominis causa". Ita accusativum „in causam" ex sententia Tertulliani explicandum esse puto, quem Oehlerus pro ablativo in causa dictum esse falso arbitratur, conferens locum longe diversissimum, qui est apol. 40: „omnis popularis incommodi Christianos esse in causam". Haec verba prorsus aliam habent significationem, quippe quae ne minimam quidem consilii cogitationem admittant, sed sane scripta sunt pro: Christianos esse in causa vel: a Christianis omne populare incommodum proficisci. Loci autem illius, qui est de idol. 15, similem habes

hunc de pudic. 14 extr.: „si nullum in causam eius (incesti) in pavorem misisset“. De idol. 24: „nullum animal in idololatren figuratum est“ i. e. nullum animal figuratum est (ut verbo Tertullianeo utar) ad idololatren significandum; apol. 17: „deus unus est, qui totam molem istam ..... de nihilo expressit in ornamentum maiestatis suae; apol. 23: „pueros in eloquium oraculi elidunt“ i. e. elidunt, ut oraculum accipiant; apol. 33: „ego illi operor in salutem“ i. e. ut salus ei contingat; apol. 39 (266): „in cuius perniciem aliquando convenimus“ i. e. ad quem perdendum; apol. 41: „omnes saeculi plagae nobis, si forte, in admonitionem, vobis in castigationem a deo obveniant“; apol. 48: „corpus ..... signatum et ipsum humanae resurrectionis exemplum in testimonium vobis“; i. e. ut vobis testimonium esset; eadem verba leguntur scorp. 9; ad nat. II, 8: „suadet itaque de recondendis praesidiis in futuram famem de copia priore“, i. e. ad arcendam famem; de cor. 14: „(sertum) ex spinis opinor et tribulis, in figuram delictorum, quae nobis protulit terra carnis“ i. e. ad significanda delicta; de fuga 11: „detinebuntur illi missionis suae mercedes in compensationem“; scorp. 3 (505): „manus erat super illos in mala“ i. e. ut eis mala pararet; scorp. 7: „sapienter iugulavit, dum in vitam, et rationaliter, dum in gloriam“ i. e. dummodo eis vitam, gloriam pararet; scorp. 8: „ipse .... contumeliosa caede truncatur in puellae psalticae lucar“; scorp. 14: „dei ergo ministerium est tibi in bonum“ i. e. ut bonum facias; de orat. 22 (575): „et (eas) acceperunt sibi in uxores“ i. e. ut uxores essent; de patient. 1: „in eam (patientiam) conspirant, in eam foederantur“ i. e. conspirant ut patientiam assequantur; de poenit. 2: „at cum iudex .... in eam (iustitiam) omnem summam disciplinae suae sanciat“ i. e. ad iustitiam tuendam; de pudic. 7 (804): „nam si iam in Chri-

stianum peccatorem defingerentur (drachmae et ovis parabolae)" e. q. s., i. e. si parabolae factae essent ad Christianum peccatorem significandum; de pudic. 17: „exhibete ea (membra) famula iustitiae in sanctimoniam" i. e. ut sanctificemini; de ieiunio 12: „ipsi nobis prophetae in hanc maxime causam extitissemus" i. e. ad hanc causam agendam; scorp. 5: „licebit et deo in vitam aeternam per ignes et gladios et acerba quaeque curare" i. e. ut vitam aeternam nobis paret; scorp. 11: „perdet autem eam (animam) ad praesens qui confessus occiditur, sed et inventurus eam in vitam aeternam"; de patient. 14: „constitit nobis in exemplum et testimonium"; de pudic. 1: „quo magis hoc mihi in notam levitatis obiectent" i. e. ad levitatem meam notandam; de corona 7 (433): „cum dies in illum (Liberum) sollemnes Magnam appellat Coronam." Hunc exemplorum numerum etiam permultis augere possumus, sed ea quae allata sunt sufficere arbitramur, quibus demonstretur, admodum usitatum fuisse Tertulliano, sola in praepositione consilium significare.

Eius autem usus, quem supra proposuimus, non prorsus desunt exempla apud alios scriptores cum prosae tum poeticae orationis, sed idem in hunc horum scriptorum usum cadit, quod iam alio loco dictum est de ad praepositione, nec tam crebra nec tam audacter dicta esse haec exempla quam Tertulliani. Velut Cicero dicit in Tusc. disp. lib. I. §. 9: „quoniam autem etiam mortui miseri sunt, in miseriam nascimur sempiternam" i. e. nascimur, ut per omne tempus miseri simus. Quod cum offensionis prorsus nihil habeat, longius progressi poetae et scriptores posterioris aetatis propius ad Tertulliani audaciam accedunt. Exempli causa nonnullos Vergilii versus afferamus: Aen. II, 347: „quos ubi confertos audere in proelia vidi"; VI, 42: „excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum" i. e. ut antrum efficiat; VI, 395: „Tar-

tareum ille manu custodem in vincla petivit"; (eadem verba leguntur apud Quintilianum VII, 1, 55); VII, 306: „concessit in iras Ipse deum antiquam genitor Calydona Dianae" i. e. ut iram exercere posset; VII, 445: „talibus Allecto dictis exarsit in iras."

Sed ut ad Tertullianum redeamus, interdum apud eum in scriptum reperitur, ubi pro expectes, quod quidem facilem explicatum habet in hoc exemplo de spect. 10: „ut iam hinc ethnicis in testimonium cedat sententia ipsorum", ubi verbum cedendi apte cum in praepositione coniungitur, quamquam usitatius est dicere: pro testimonio aliquid cedit. Sed eodem modo loqui Tertullianus non dubitavit, cum aliis verbis utitur, his locis: de cor. 15: „idque in signum habet ad probationem sui"; de exhort. castit. 13: „erunt nobis in testimonium et feminae quaedam saeculares"; de pudicit. 19 (896): „ero illis deus et illi mihi in filios"; de fuga 11: „in quos et Ezechiel et Hieremias iisdem minis perorant quod ..... dispersum gregem faciant et in praedam esse omnibus bestiis agri"; de monog. 2: „itaque monogamiae disciplinam in haeresin exprobrant"; de ieiunio 4: „omne lignum, quod habet in semetipso fructum seminis sementivi, vobis erit in escam"; adv. Marc. IV, 31: „ero vobis in dominum et vos mihi in populum."

Pro genetivo interdum usurpata est in praepositio, cum substantivum in genetivo casu positum significaret terminum, ad quem actio quaedam alterius substantivi dirigitur vel spectat: de orat. 13: „comperi commemorationem esse in domini deditionem" i. e. commemorationem quae spectat ad domini deditionem; ad uxor. II, 7: „ita facilius huiusmodi lucro fiunt, in quos dei gratia consuetudinem fecit" i. e. quorum consuetudinem permisit deus; de cultu femin. II, 4: „infidelis contra etiam suspectam habet (formam uxoris) vel ex illa scelerata in nos opinione gentium"; de monog. 10 (777): „hoc erit adul-

terium, unius feminae in duos viros conscientia"; scorp. 13 (532): „virtute enim patimur ex dilectione in deum"; de pudic. 9 (811): „vide an habeat ethnicus substantiam in deo patre census et sapientiae et naturalis agnitionis in deum."

Simili ratione explicandum, si quando pro dativo cum verbo coniuncto in praepositio accusativa scribitur; ad nat. I, 1: „exprobrant enim, quod erant, in semetipsos"; scorp. 9: „quamquam etsi omnem hanc persecutionem condicionabilem in solos tunc apostolos destinasset" e. q. s.; de baptism. 5: si de sola natura aquae quod propria materia sit abluendi, in auspicia emundationis blandiuntur" e. q. s. quod eodem modo dictum videtur, quo apud Ovidium in am. II, 11, 54: „cur ego non votis blandiar ipse meis": warum soll ich mir nicht mit meinen Wünschen schmeicheln i. e. warum soll ich nicht glauben, dass meine Wünsche in Erfüllung gehen; ita apud Tertullianum „in auspicia emundationis blandiuntur" scriptum est pro dativo: auspiciis blandiuntur: sie schmeicheln sich mit dem Zeichen, glauben an das Zeichen der Reinigung; scorp. 10: „vide an servaverit genus, a quibus et testimonium sui expectet et in quos iustitiae vicem mandat." His locis similem noli putare cum Handio eum, qui est apud Tacitum in ann. III, 16: „amicos eius (Pisonis) dictitavisse, literas Tiberii et mandata in Germanicum contineri (libello Pisonis)", nam ibi verba „in Germanicum" idem significare atque „contra Germanicum" neque esse scripta pro dativo Germanico apparet.

Denique singula exempla haec commemoranda videntur: scorp. 1: „nam quod sciant multos simplices ac rudes tum infirmos, plerosque vero in ventum et si placuerit, Christianos" i. e. Christianos in sive ad ventum se dirigentes, leves; ad nation. II, 14: „plurimas in unum .... bestias conficiunt" i. e. ita ut una pugna sit: auf einmal. Compluribus locis

legitur: „in deum credere“, quod eodem modo explicandum, quo supra: „in quos iustitiae vicem mandat“, ut de fuga 3; „in resurrectionem credere“ de patient. 16; de fuga 10: in Christum tinctus es“, tingendi enim actio ad Christum pertinet; de bapt. 8: „ut Christum deformantes iam tum portenderent benedictionem in Christum futuram“; eadem significatione in praepositio etiam cum ablativo coniuncta reperitur: de bapt. 12: „quos tinctos non invenimus in domino“; de bapt. 19: „diem baptismo sollemniorem Pascha praestat, cum et passio domini, in qua tinguimur, adimpleta est“, qui ablativus non cum Oehlero ita est interpretandus, ut sit ablativus qui dicitur instrumenti. Sed revertamur ad accusativum. Legitur de bapt. 10: „nam quod praedicabat baptismum paenitentiae in remissionem delictorum, in futuram remissionem enuntiatum est“ i. e. ea quae enuntiata sunt, spectant ad futuram remissionem; de cultu fem. II, 2: „perit enim ille, simul in tuam formam concupierit“ i. e. simulatque cupiditatem ad tuam formam direxerit; de exhort. cast. 5: „ad legem semel nubendi dirigendam ipsa origo humani generis patrocinatur, contestans quid deus in primordio constituerit in formam posteritati recensendam“ i. e. spectans ad formam; adv. Hermog. 1: „legem dei in libidinem defendit, in artem contemnit“ i. e. in Bezug auf seine Leidenschaft vel zu Gunsten seiner Leidenschaft. Non autem satis conveniunt consuetudini Tertullianeae, quae leguntur de exhort. cast. 6: „puto autem etiam in humanas constitutiones atque decreta posteriora pristinis praevalere“, ubi sine dubio in praepositio est delenda.

IN ablativa praepositio.

Saepissime reperitur in addita ad ablativum eorum substantivorum, quae tempus significant, velut: dies tempus hora mensis al.: in

illa die pro illo die al. Tum praeter ablativum causae, quod a consuetudine aliorum scriptorum non prorsus abhorret, etiam ablativus rei alicuius, qua quid efficitur, non raro hac praepositione indicatur, velut de cor. 14: „quae (delicta) nobis protulit terra carnis, abstulit autem virtus crucis, omnem aculeum mortis in dominici capitis tolerantia obtundens“, de poenit. 6 (656): „quis ergo in bonitate praecellens“?; de cult. fem. 3: „in spiritus bonis, non in carne placere velle debemus“ i. e. animi praestantia.

Cum hac significatione coniuncta sunt ea exempla, ubi a vel per praepositiones expectes, praesertim post verba passiva: de fuga 9: „qui enim non publicatur in hominibus, publicatur in domino“; de fuga 10: „siquidem et in te mundus iudicatur.“

Singularia haec accipe exempla: de virg. vel. 17 extr.: „ita dum in capite secura est, nuda qua maior est, capitur“ i. e. sicher in Bezug auf das Haupt; de spect. 17: „quod in facto reicitur, etiam in dicto non est recipiendum“ i. e. cum fit, cum dicitur; de testim. 2: „Iunonem in aere exornas“ i. e. ex aere factum simulacrum Iunonis; cum quibus verbis aliquo saltem modo conferri possunt quae leguntur apud Suetonium Galb. 8: „ut secum vehiculo proximo decies sestertium in auro efferret“ ut nos dicimus: 50 Thaler in Gold; de monog. 11 (780): „quae iam in fide virum amiserit“ i. e. cum iam fidem christianam profiteretur; de idol. 13: „reus est confusionis in deo“ i. e. apud deum; de pudic. 14 (822): „veniam ad vos in virga, an in spiritu lenitatis“? i. e. cum virga, cum spiritu lenitatis; de spect. 29: „in his tibi circenses ludos interpretare“ i. e. haec tibi circenses ludos interpretare; de virg. vel. 8: „virginem in muliere intellegendam“; de pudic. 7: „ideo Christianus in ove intellegendus“. Omnino interpretandi et intellegendi verba vario modo cum substantivis apud Ter-

tullianum coniunguntur, si eam significationem habent, quae tribus ultimis exemplis supra allatis continetur. Saepius reperiuntur duo accusativi cum verbo coniuncti: de resurrect. carnis 37: „nemo iam poterit aliud mortuos interpretari, qui sint in monumentis, nisi corpora et carnem“ i. e. Keiner kann unter dem Wort: Todte etwas anders verstehen als Körper und Fleisch; quare non est necesse advers. Hermog. 19 verbis: „ipsum principium . . . . aliquid volunt fuisse quasi substantivum et corpulentum, quod materiam interpretari possit“ inserere contra auctoritatem libri Leidensis in praepositionem, ut fiat: quod in materiam interpretari possit: worunter man die Materie verstehen kann, sed etiam de scriptura „materia“ cogitari licet. Secunda est ratio, ei substantivo, quo alterum substantivum explicetur, addere in praepositionem accusativam, velut de pudic. 13: „hic iam carnis interitum in officium paenitentiae interpretantur“ i. e. sie verstehen unter den Worten: Untergang des Fleisches die Pflicht der Busse. Ab hac forma non multum differt tertia, quae fit addita ad praepositione: adv. Marc. IV, 25 (226): „si omnia ad hominum genera, id est ad omnes nationes interpretaberis“ i. e. wenn du unter dem Wort omnia die Geschlechter der Menschen verstehst. Rarius de praepositio praeponitur ei substantivo, quod est explicandum: de carne Christi 8: „cum angelum etiam de figura erraticae ovis interpretantur“ i. e. unter dem irrenden Schafe verstehen sie den Engel; saepius denique substantivo, quod explicatur, adicitur in praepositio ablativa, cuius formae exempla vide supra p. 12. Quare recte scribitur de virg. vel. 8: „virginem in muliere intellegendam“ contra codices, qui habent in mulierem; mulieris enim verbum explicatur, non virginis.

Permutatio casuum, ut accusativus pro ablativo aut ablativus pro accusativo poni videatur, non raro apud Tertullianum eaque sat insolitis

exemplis reperitur: de spect. 30: „tunc xystici contemplandi non in gymnasiis, sed in igne iaculati"; apol. 12: „in insulis relegamur"; apol. 21 (197): „non .... deum patrem passus est .... amatorem in auro conversum Danaidis"; de fuga 2 (465): „omnia quae sunt ei, in manu tua do"; ad nat. I, 11: „sed quid ego defendam, professus interim confessionem temporalem omnium in vobis ex pari transferendorum". Accusativus praeter consuetudinem scribitur his locis: apol. 40: „Christianos esse in causam"; apol. 4 (282): „totum quod in deum quaeritur, re quoque assignat", ubi in nonnullis codicibus in deo reperitur, quod vel hanc ob causam quod est usitatius, minorem habet probabilitatem; de fuga 7: „postremo in apocalypsi non fugam timidis offert, sed inter ceteros reprobos particulam in stagnum sulphuris et ignis"; de fuga 10: „sed illum non dico in mari et in terra, verum in uterum etiam bestiae invenio"; de exhort. cast. 4: „cum tempus in collectum esse adicit"; de monog. 9: „ut quod ab initio fuit, muniat, duorum in unam carnem perseverantiam"; de pudic. 15: „in finem epistolae dicens"; de praescript. haeret. 23: „aliis alter praedicarent, Petrus in circumcisionem, Paulus in nationes"; adv. Marc. IV, 14: „quoniam non in finem oblivioni habebitur mendicus, tolerantia pauperum non peribit in finem"; adv. Hermog. 19: „in finem deus fecit caelum et terram"; adv. Praxean 30: „post Philippum et totam substantiam quaestionis istius, quae in finem evangelii, perseverant in eodem genere sermonis"; adv. Valentin. 32: „Marcus aut Gaius in hanc carnem barbatus" e. q. s., quod recte Rhenanus explicasse videtur his verbis: quamquam fueris in hac vita barbatus. Ex his exemplis quamquam alia habent facilem explicatum, alia tamen ostendunt, Tertullianum, si rationem grammaticam spectes, interdum neglegentissime esse locutum. Ceterum huc non referendum, quod legi-

tur de spect. 25: „pudicitiam ediscet attonitus in animos"; etenim quamquam ferri potest accusativus pro ablativo scriptus, offendit tamen pluralis animos; accedit quod in Agobardino, optimo libro, scriptum est: attonitus immimos. Quae cum ita sint, scribendum puto: attonitus in animo suo.

SUB.

Haec praepositio apud Tertullianum fere semper cum ablativo coniuncta reperitur. Interdum verbo passivo additur pro praepositione a: de bapt. 6: non quod in aquis spiritum sanctum consequamur, sed in aqua emundati sub angelo spiritui sancto praeparamur"; in eodem capite extremo: „cum autem sub tribus et testatio fidei et sponsio salutis pignerentur" e. q. s. Quare non mirum, eandem praepositionem adhiberi etiam ad ablativum instrumenti vel causae significandum, velut apol. 48 (294): „quae ratio universitatem ex diversitate composuit, ut omnia aemulis substantiis sub unitate constarent ex vacuo et solido"; de pallio 6: „grande pallii beneficium est, sub cuius recogitatu improbi mores vel erubescunt"; apol. 27: „qua (fide conscientiae) certi sumus, ad quos ista perveniant officia sub imaginum prostitutione et humanorum nominum consecratione"; de pudic. 14 (823): „certumque est, exinde increpitum quidem sub intentatione virgae tremuisse, damnatum vero sub repraesentatione poenae perisse" i. e. in Folge der Androhung der Ruthenstreiche, in Folge der Vollstreckung der Strafe; de orat. 22 (575): „sicut ergo in masculino sexu sub viri nomine etiam investis velari vetatur, ita et in feminino sub nomine mulieris etiam virgo velari iubetur" i. e. durch die Bezeichnung vir, mulier; ad martyr. 4 (13): „igitur si tantum terrenae gloriae licet de corporis et animi vigore, ut gladium, ignem . . . . . contemnat sub

praemio laudis humanae" e. q. s. i. e. propter praemium. Habet hunc sub praepositionis usum Tertullianus communem cum poetis et scriptoribus posterioris aetatis.

Pro cum praepositione his locis posita est: apol. 50: „proelium est nobis, quod provocamur ad tribunalia, ut illic sub discrimine capitis pro veritate certemus", quod quidem accuratissime respondet nostris unter Lebensgefahr, in latina autem lingua melius cum discrimine erat dicendum; ad nat. I, 15: „nullae magis leges tam impune, tam secure sub omnium conscientia unius aetatis tabellis eluduntur", quae verba satis obscura quomodocunque explicanda putabis, id saltem apparet, sub omnium conscientia dicta esse pro cum omnium conscientia; de poenit. 4 (651): „quod etiam humano more sub deieratione testatur"; de pudic. 13 (819): „utique apostolus non adversus terminum domini sub spe veniae dedisset satanae iam a fide in blasphemiam mersos". Singulariter scriptum est ad nat. II, 5: „omnia haec super nos . . . . . sub legis instar constituta"; nam solet dici aut legis instar aut minus bene ad legis instar. In locum denique coram praepositionis adhibetur de praescript. haeretic. 16: „sub duobus aut tribus testibus castigandus videretur" et in eodem libro 25: „coram multis, inquit, testibus. Quos multos testes si nolunt ecclesiam intellegi, nihil interest, quod nihil tacitum fuerit, quod sub multis testibus proferebatur".

Cum accusativo coniuncta sub praepositio multo rarius reperitur et ita tantum ut locum significet, quo aliquid perveniat vel feratur. Quae cum ita sint, non possum mihi persuadere, sanum esse quod legitur scorp. 2 (501): „perditione perdetis omnia loca, in quibus servierunt nationes deis suis, quas possidebitis hereditate, super montes et colles et sub arbores densas". Quod hoc loco super praepo-

sitio cum accusativo coniungitur, est prorsus accommodatum consuetudini scriptoris, sed non minus contrarium, quod sub cum eodem casu coniunctum videmus. Accedit, ut in septuaginta virorum interpretatione, quam Tertullianus fere ad verbum expressit, singularis, non pluralis secundum verba hebraica scribitur: ὑποκάτω δένδρου δασέως, quare non dubito, quin Iunius recte scripserit: sub arbore densa.

SUPER.

Super si est praepositio accusativa, saepius quam apud alios scriptores fieri solet, significat, aliquem praeter alios potestate doctrina virtute denique vel vitio excellere: de idol. 2: „quomodo abundabit iustitia nostra super scribas et pharisaeos", similiter de monog. 7; apol. 30: „sentiunt eum esse deum solum, in cuius solius potestate sunt, a quo sint secundi, post quem primi, ante omnes et super omnes deos"; de testim. 2: „dicto omnem super nos potestatem eius consistere secundum nos confiteris"; ad nat. II, 6 extr.: „quod enim super hominem, credas deo proximum"; scorp. 9 (518): „non est discipulus super magistrum . . . . nec servus super dominum suum"; de bapt. 10: „qui de supernis venit, super omnes est"; de pudic. 19: „unde et apud nos ut ethnico par, immo et super ethnicum haereticus" e. q. s.; de bapt. 2: „qualia enim decet esse opera divina, nisi super omnem admirationem".

Interdum positivus adiectivorum cum super praepositione coniunctus locum obtinet comparativi: scorp. 1 (499): „si eloquia domini dulcia super mella et favos" i. e. si dulcedine super mella sunt vel dulciora melle; scorp. 14: „ceterum super deum diligere nec animam licebit" i. e. plus quam deum; de pallio 2 extr.: „(orbis est) amoenus super Alcinoi pometum et Midae rosetum"; de pallio 4 extr.: „pallium

super omnes exuvias et peplos augusta vestis". Semel comparativus cum praepositione coniungitur, ita ut notio excellendi expressa sit et comparativo et praepositione adv. Marc. IV, 20: „aspice mari rubro vastiori super omnia stagna virgam Moysi imperantem."

Etiam longius ab usu communi recedit Tertullianus exemplis, quae infra perscripta sunt, in quibus promiscue cum ablativo vel accusativo super praepositio coniungitur. Est autem duplex haec significatio praepositionis, prior ut causam indicet, his locis: de idol. 13 extr.: „qui autem confusus super me fuerit penes homines, et ego confundar super illo"; ad nat. I, 10 (329): „lacrimas eius super Sarpedonem excutit" i. e. lacrimas propter mortem Sarpedonis obortas; scorp. 7: „super summos autem muros confisa dicit" e. q. s.; de poenit. 10: „illi cum super te lacrimas agunt". Altera significatio, qua super eadem ratione atque de praepositio adhibetur, ut indicet, actionem quandam referri ad aliquem hominem vel aliquam rem, quod nos exprimimus verbis: in Betreff, über quamquam apud omnes fere scriptores latinos reperitur, tamen id singulare habet apud Tertullianum, quod non solum ablativo sed etiam accusativo exprimitur velut apol. 19 (189): „habetis, quod sciam, et vos Sibyllam quatinus appellatio ista verae vatis dei veri passim super ceteros qui vaticinari videbantur, usurpata est"; ad uxor. I, 7: „super haec enim recogites, moneo". Ad locum autem indicandum nunquam Tertullianus super cum ablativo coniunxit.

Singulariter denique dictum est scorp. 2 (502): „non parcet oculus tuus super eum".

Subter vocabulo rarissime Tertullianus utitur et ita utitur, ut sit adverbium, non praepositio.

Restat ut eis quae iam ante hoc tempus de praepositionibus exposuimus, id unum addamus, non omnino abstinuisse Tertullianum usu circum praepositionis, sed eam bis reperiri in scorp. 2 (501 et 502).

Commentatione tandem ad finem perducta quamquam minimam partem, commilitones humanissimi, ex dicendi genere Tertullianeo tractavimus, tamen non prorsus inutilem nos laborem suscepisse putamus, quoniam nisi singulis rebus accurate perspectis ad plenam scriptoris cognitionem perveniri non posse apertum est. Neque in hoc solum genere studiorum id tenendum, sed velim vobis persuadeatis, in omni hominum doctrina ne levissima quidem, si recte sint disputata, neglegi debere ab eis quidem, qui ad accuratam perfectamque, quantum homini licet, doctrinam velint pervenire.

Dabam Monasterii Guestph. d. III. mensis Quinctilis a. MDCCCLXIX.

LECTIONES

I. ORDINIS THEOLOGORUM.

1. Professorum ordinariorum.

ANT. BERLAGE, Dr., 1. Philosophia revelationis ad finem perducta, de religionis christianae divinitate disseret ter p. hebd. h. VIII.; 2. Theologiae dogmaticae partem primam pertractabit quinquies p. hebd. h. X.

LAUR. REINKE, Dr., 1. Antiquitates biblicas ter vel quater p. hebd. tradet; 2. Praemissa introductione, vaticinia Messiana graviora in Psalterio bis terve p. hebd.; Locos graviores et difficiliores Veteris Testamenti semel vel bis p. hebd. explicabit.

ADOLPH. CAPPENBERG, Dr., 1. Ecclesiae christianae historiam inde a temporibus aevi medii enarrabit quater p. hebd. h. VII. et VIII.; 2. De iure canonico disseret quater p. hebd. h. XI.

NICOL. PUENGEL, Dr., Introductione in Theologiam pastoralem praemissa, curae peccatorum pastoralis partem primam docebit ter p. hebd. h. IX.; 2. Curae peccatorum pastoralis partem postremam exponet semel p. hebd. h. IX.; 3. Doctrinam pastoralem de sacramento matrimonii, dein curam infirmorum et moribundorum tractabit bis p. hebd. h. IX.

AUG. BISPING, Dr., 1. Evangelium secundum Matthaeum interpretabitur quater p. hebd. h. III.; 2. Introductionem generalem et specialem in omnes Novi Test. libros dabit ternis p. hebd. lectionibus h. XI; 3. Selecta religionis christianae capita tractabit bis terve p. hebd.

IOS. SCHWANE, Dr., 1. Theologiae moralis partem generalem exponet ter p. hebd.; 2. Theologiae moralis partem primam specialem docere perget ter p. hebd.; 3. Doctrinam dogmaticam de sacramentis explicabit bis p. hebd.

2. Professoris extraordinarii.

FRANC. FRIEDHOFF, Dr., 1. Theologiam moralem generalem tribus horis p. hebd.; 2. Theologiam moralem specialem tribus horis p. hebd.; 3. Theologiam dogmaticam sex horis p. hebd. exponet; 4. De vocatione ad statum clericalem disseret semel p. h.

3. Privatim docentis.

AUG. ROHLING, 1. Introductionem in libros sacros V. Test. ter p. hebd. tradet; 2. Vaticinia messiana, quae in libris historicis V. Test. continentur, ter p. hebd. explicabit.

II. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

1. Professorum ordinariorum.

LAUR. REINKE, Dr., *publice* breviter repetet grammaticam hebraicam, versionemque locorum graviorum V. Test. instituet semel p. hebd.; *privatim* grammaticam arabicam docebit et auditores in locis facilioribus e textu hebraico interpretandis exercebit bis p. hebd.

FRANC. WINIEWSKI, Dr., *publice* Sophoclis Antigonam interpretabitur, quater p. hebd. h. X.; *privatim* antiquitates graecas exponet, quinquies p. hebd. h. XII.

IOS. ROSPATT, Dr., *publice* Historiam imperii Romano-Germanici enarrabit, quater p. hebd. hora IV.; *privatim* Historiam antiquam regnorum Orientis explicabit, ter p. hebd. hora XI.

EDUARD. HEIS, Dr., *publice* 1. Astronomiam popularem docebit bis p. hebd. hora VII. pomerid.; 2. Exercitationes geometricas instituet bis p. hebd. hora IX.; *privatim* 1. Calculi differentialis et integralis partem alteram exponet, sexies p. hebd. hora VIII.; 2. Geometriae analyticae partem priorem tradet, quater p. hebd. hora IX.

GUIL. HITTORF, Dr., *publice* de calore aget, bis p. hebd.; *privatim* chemiam experimentalem tradet, sexies p. h.

ANTON. KARSCH, Dr., *publice* Phytologiam generalem tradet, ter p. hebd.; *privatim* 1. Anthropologiam, ter p. hebd.; 2. Historiam naturalem generalem exponet, ter p. h.; *privatissime* exercitationes practicas instituet, quater p. hebd.

ALBERT. STOECKL, Dr., *publice* Historiam philosophiae scholasticae enarrabit, bis p. hebd.; *privatim* 1. Psychologiam, quater p. hebd.; 2. Logicam et Noeticam quater p. hebd. tradet.

GUIL. STORCK, Dr., *publice* Episodia selecta Mahâbhârati interpretabitur, bis p. hebd.; *privatim* 1. Historiam literarum Germanicarum antiquiorem enarrabit, quinquies p. hebd.; 2. Grammaticam linguae Sanscritae tradet, ter p. hebd.

PETR. LANGEN, Dr., *publice* Ciceronis de oratore librum primum explicabit, ter p. hebd.; *privatim* 1. Antiquitates Romanas enarrare perget, bis p. hebd.; 2. Historiam literarum latinarum tradet, quinquies p. hebd.

2. Professorum extraordinariorum.

CHRIST. SCHLUETER, Dr., *publice* de animi immortalitate aget, ter p. hebd.; *privatim* Historiam philosophiae recentioris inde a Bacone et Cartesio usque ad haec nostra tempora enarrabit, ter p. hebd.

AUGUST. HOSIUS, Dr., *publice* Palaeontologiam, bis p. hebd.; *privatim* Mineralogiam quater p. hebd. tradet.

BERN. NIEHUES, Dr., *publice* Historiam aevi nostri ab a. 1815 ad a. 1848 enarrabit, ter p. hebd.; *privatim* Historiam Graecorum a bellis Persicis ad Corinthum captam docebit, ter p. hebd.

GUSTAV. BICKELL, Dr. Prof. E. design., *publice* 1. Interpretationes hebraicas moderabitur, bis p. hebd.; 2. Linguam arabicam tradet, bis p. hebd.; 3. Antiquitates aegyptiacas exponet, semel p. hebd.; *privatim* Grammaticam hebraicam docebit, quater p. hebd.

THEOD. NITSCHKE, Dr. Prof. E. design., *publice* de pyrenomycetibus disseret, ter p. hebd.; *privatim* Exercitationes microscopicas instituet, ter p. hebd.

3. Privatim docentium.

GEORG. HAGEMANN, Dr., *privatim* 1. Psychologiam; 2. Logicam et Noeticam tradet.

ADALB. PARMET, Dr., *gratis* Electa Theocriti idyllia interpretabitur, quater p. hebd.; *privatim* Horatii epistolam ad Pisones explicabit, ter p. hebd.

BERNARD. TEN BRINK, *gratis* Grammaticam francogallicam tradere perget, ter p. hebd.; *privatim* Historiam literarum anglica-

rum enarrabit, quater p. hebd.; *privatissime* 1. Malherbii carmina sodalibus explicanda proponet, bis p. hebd.; 2. Scholas anglicas habebit bis p. hebd.

Exercitationes Seminarii philologici.

FRANC. WINIEWSKI, Dr., liter. antiq. Prof. P. O., Thucydidis librum VI. sodalibus explicandum proponet, eorumque scribendi disputandique pericula moderabitur.

PETR. LANGEN, Dr., liter. lat. Prof. P. O., Terentii Adelphos sodalibus explicandam proponet, eorumque disputandi exercitationes moderabitur.

Doctrinarum Apparatus et Instituta.

Bibliotheca Paulina stato tempore patebit, eiusdemque opes literarum amantibus ex legum praescripto officiosissime dispensabuntur. ***Anagnosterium academicum*** ephemeridum literatarum cognoscendarum opportunitatem intrantibus praebebit. ***Apparatus mathematicus et astronomicus, Apparatus physicus et Laboratorium chemicum, Museum mineralogicum et zoologicum, Collectio anatomica, Herbarium Guestphaliae normale, Hortus*** denique ***botanicus*** naturae studiosis et curiosis lubenter aperientur, qui quidem eos viros, quibus earum rerum demandata est cura, rite adierint.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Significat numerus 1. diem Lunae, 2. diem Martis, 3. diem Mercurii, 4. diem Iovis, 5. diem Veneris, 6. diem Saturni; numeri I, II, III rel. auditoria significant.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
7—8	SCHWANE, P. O., De sacramentis (1. 2.) Nro. I. Idem, Theologiae moralis pars generalis (3.) Nro. II. ROHLING, P. D., Introductio in V. T. (4. 5. 6.) Nro. I.	KARSCH, P. O., Anthropologia (1. 2. 3.) Audit. zool. STORCK, P. O., Historia litt. Germ. (1. 2. 3. 4. 5.) Nro. III.
8—9	BERLAGE, P. O., De divinitate religionis christianae (1. 2. 4.) Nro. II. CAPPENBERG, P. O., Hist. ecclesiastica (3. 5. 6.) Nro. I. SCHWANE, P. O., Theologiae moralis pars specialis (1. 2. 4.) Nro. I. FRIEDHOFF, P. E., Theolog. moralis specialis (1. 2. 4.) Nro. VII.	HEIS, P. O., Geometriae analyticae pars prior (1. 2. 3 4.) Audit. math. Idem, Exercitationes mathem. (5. 6.) Aud. math. STORCK, P. O., Gramm. Sanscr. (1. 3. 5.) Nro. III. Idem, Epis. sel. Mahâbh. (2. 4.) Nro. III. LANGEN, P. O., Hist. litter. Roman. (2. 3. 4. 5. 6.) Nro. X. NIEHUES, P. E., Hist. aèvi nostri (2. 3. 4.) Aud. zool.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
8—9		PARMET, P. D., Horat. epist. ad Pisones (3. 5. 6.) Nro. II.
9—10	REINKE, P. O., Antiquitates biblicae (1. 3. 5.) Nro. II. Idem, Vaticinia Mess. (2. 4. 6.) Nro. II. PUENGEL, P. O., Introductio in Theol. pastor. (1. 3. 6.) Nro. I. Idem, Pars special. de tract. poenitentibus (4.) Nro. I. Idem, Doctrina pastor. de initiandis nuptiis et cura infirm. (2. 5.) Nro. I.	HEIS, P. O., Calculi differentialis et integr. pars altera (1. 2. 3. 4. 5. 6.) Aud. math. STOECKL, P. O., Psychologia (1. 2. 4. 5.) Nro. VII. Idem, Logica (3. 6.) Nro. VII. LANGEN, P. O., Ciceronis de oratore lib. I. (2. 4. 5.) Nro. X. Idem, Antiq. Rom. pars II. (3. 6.) Nro. X. NIEHUES, P. E., Hist. Graecorum (1. 2. 4. Nro. III. NITSCHKE, P. E., Excerc. microscop. (6.) domi. HAGEMANN, P. D., Psychologia (1. 2. 4. 5.) Aud. zoolog. Idem, Logica (3. 6.) Aud. zool. PARMET, P. D., Theocrit. Idyll. (3. 5. 6.) Nro. III.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
10—11	BERLAGE, P. O., Theologiae dogmaticae p. prima (1. 2. 3. 4. 5.) Nro. II. REINKE, P. O., Explicat. locorum grav. V. T. (6.) Nro. II. FRIEDHOFF, P. E., Theologia dogmatica (1. 2. 3. 4. 5. 6.) Nro. I.	WINIEWSKI, P. O., Sophoclis Antig. (1. 2. 4. 5.) Nro. VII. WINIEWSKI, P. O. et LANGEN, P. O., Seminar. philolog. disp. (3.) Nro. III. KARSCH, P. O., Histor. nat. general. (1. 2. 3.) Aud. zool. Idem, Phytologia general. (4. 5. 6.) Aud. zool. NITSCHKE, P. E., Excerc. (microscop. (6.) domi. TEN BRINK, P. D., Historia litt. angl. (1. 2. 4. 5.) Nro. III. Idem, Scholae anglicae (3. 6.) Nro. X.
11—12	CAPPENBERG, P. O., Historia ecclesiastica (2.) Nro. I. Idem, Ius canonicum (1. 3. 4. 5.) Nro. I. BISPING, P. O., Introductio in N. T. (1. 3. 4.) Nro. II.	ROSPATT, P. O., Histor. antiqua regnorum Orient. (1. 3 5.) Nro. III. HITTORF, P. O., Chemia experim. (3. 5. 6.) Nro. IV. STOECKL, P. O., Logica (1. 4.) Nro. VII.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
11—12	SCHWANE, P. O., Theolog. moral. pars generalis (3.) Nro. VII (et 5. 6.) Nro. II. FRIEDHOFF, P. E., Theologia mor. generalis (3. 5. 6.) Aud. zool. Idem, De vocat. ad statum cleric. (2.) Nro. II. ROHLING, P. D., Vaticinia Mess. (6.) Nro. I.	STOECKL, P. O., Historia philosophiae scholasticae (2. 5.) Nro. VII. SCHLUETER, P. E., De animi immortalitate (1. 3. 6.) Nro. X. NITSCHKE, P. E., Excerc. microscop. (6.) domi. Idem, De pyrenomycet. (2. 4.) Nro. III; (5.) Nro. X. HAGEMANN, P. D., Logica (1. 4.) Aud. zool.
12—1	ROHLING, P. D., Vaticinia Mess. (1. 2.) Nro. II.	WINIEWSKI, P. O., Antiquit. Graecae (1. 2. 3. 4. 5.) Nro. I. HITTORF, P. O., De calore (1. 2.) Nro. IV. Idem, Chem. experim. (3. 5. 6.) Nro. IV. BICKELL, P. E., Grammatica hebraica (1. 2. 4. 5. Nro. III. Idem, Interpretationes hebraicae (3. 6.) Nro. III.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
12—1		TEN BRINK, P. D., Grammatica francogall. (1. 3. 4.) Nro. X. Idem, Malherbii carmina (2. 5.) Nro. X.
2—3		KARSCH, P. O., Excercit. practicae (3. 6.) Aud. zool. BICKELL, P. E., Grammatica arabica (1. 4.) Nro. III.
3—4	BISPING, P. O., Interpretatio Evang. s. Matthaei (1. 2. 3. 5. Nro. VII.	KARSCH, P. O., Excercit. pract. (3. 6.) Aud. zool. SCHLUETER, P. E., Historia philosophiae recent. (1. 3. 5.) Nro. I.
4 - 5		ROSPATT, P. O., Hist. imper. Romano-germ. (1. 2. 4. 5.) Nro. II.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
5—6		WINIEWSKI, P. O., Thucyd. lib. in semin. philolog. (1. 4.) Nro. III. LANGEN, P.O., Terentii Adelph. sem. philolog. (2. 5.) Nro. III.
7—8		HEIS, P. O., Astronomia popularis (2. 4.) Aud. math.

HORIS POSTEA INDICANDIS.

REINKE, P. O., Grammatica Arabica.
Idem, Repetitio grammat. Hebr. et exercit.
BISPING, P. O., Rel. Christ. doctrina.
HOSIUS, P. E., Mineralogia.
Idem, Palaeontologia.
BICKELL, P. E., Antiquitates aegyptiacae.